CELSISSIMO
Potentiſsimoq; Principi

JACOBO

ALBANIÆ & *EBORACENSIUM* Duci, &c.
Sereniſsimi Regis Magnæ Britanniæ, &c. Fratri Unico.

Illu-

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

CELSISSIMO
Potentiſsimoq; Principi

JACOBO

ALBANIÆ & *EBORACENSIUM* Duci, &c.
Sereniſsimi Regis Magnæ Britanniæ, &c. Fratri Unico.

Illu-

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

Illustrissime Princeps,

CVm nunc omnium in hoc Regno ordinum homines, non in sinu solum gaudeant sed & publice jactent ac glorientur, quod Scotiam *serenissimi sui Regis (sub cujus Majoribus in eâdem legitimâ serie, per tot annorum myriadas, floruit & triumphavit) absentia diutina languentem ac miseram, tandem* Celsitudinis vestræ *Præsentia, munificentia, tutela, consilio, om-*

niumque virtutum exemplo lætantem & bea-tam videant ; Neminem miraturum aut me insolentis audaciæ insimulaturum suspicari pos-sum , quód a Magni vestri Nominis um-bra schediasmata hæc lucem fœnerari destina-verim.

Ut Jacobum *avum, sæculi sui* Solomo-nem , *sapientiâ* Scoticæq; *gentis amore ;* Carolum *Patrem Martyrem , ac Christia-næ Religionis columen, Magnanimitate, ju-stitia & pietate ; serenissimum* Carolum *fra-trem , clementia omnibusque Regiis virtuti-bus æmulari pergas, eique sero in cœlum rede-unti (legitima Regea sua sobole deficiente) in Thronum & Imperium, Dei, naturæ genti-umque*

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

unque legibus debitum ſuccedas, quem admodum piis omnibus probiſque hominibus quotidie in votis eſt, ita quam maxime.

Illuſtriſsime Princeps

Celſitudinis Veſtræ Regiæ

Humillimo Obſequentiſſimo, omnique fide ac Studio addictiſſimo ſervo.

JACOBO MARTIN.

Positiones Philosophicæ

QUAS

Favente DEO, **Andreapoli**, *loco solito, propugnabunt, in* **Collegio Salvatoris** *nostri curriculum Philosophicum emensi, & splendida Laureæ corolla hac vice condecorandi, adolescentes hi.*

Alexander Anderson.
Alexander Rait.
Alexander Robertson.
Andreas Balcanquel.
Andreas Clephan.
Andreas Haley.
David Anderson.
David Chalmers.
David Drummond.
Duncanus Drummond.
Duncanus White.
Georgius Broun.
Georgius Eduard.
Gulielmus Abernethie.
Gulielmus Chalmers.
Gulielmus Zeman.
HENRICUS BALFOUR.
Henricus Murray.
Jacobus Balcanquel.
Jacobus Broun.
Jacobus Burdon.
Jacobus Drummond.
Jacobus Sands.
Ioannes Broun.
Ioannes Grahame.
Ioannes Orrok.

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

Theſes Etheco-politicæ.

I. A Deo ipſo, harmonia Univerſi, omniſque ad homines, & quamlibet creaturam dimanat bonitas; hujus donatione, non autem populi cujuſvis ſuffragiis, Rex mundi primus hominum conſtitutus, in conjugem dilectam, & liberos; ab orbe condito obtinebat *Imperium*. Æqualitatem rejiciunt ipſa rerum pulchritudo, & Mundi aſpectabilis forma; Deique unitatem redolentem flagitant *Monarchiam:* quæ cum ſit prima & originaria Regiminis forma, reliquorum (quæ non a natura ſed ab hominum conſiliis originem ducunt, & antequam reducantur ad actum, hanc quam proxime imitantur) norma ſtatuitur. Regimen ſiquidem humani generis, non diverſas ſpecies, ſed varias admittit figuras, perfectiores alias, alias imperfectiores, prout imperii Monarchici illuſtriorem, vel obſcuriorem, exhibent imaginem.

II. Totus in eo eſt *Buchananus* peſtilenti ſuo & flammis uſtulando Dialogo, ut a populi ſuffragiis Imperiorum aſtruat originem; quoſdam ſecutus Ethnicos, originis humani generis parum conſultos: qui primos terræ incolas, ferarum more, in tuguriis & antris ſine legibus & πολιτεια habitaſſe

fabulantur: cum enim hiſtoriam *Moſaicam* non agnoverint, ſermonis & rationis expertes fuiſſe, ac, veluti fungos e terra natos, primos finxerunt homines. Sic *Venuſinus*; *Quum prorepſerunt primis animalia terris, mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter*, &c. *Oppida cæperunt munire, & ponere leges.* Rudem itaque primo & incultam, ſine Regibus, ſine certis ſedibus, mortalium vitam crediderunt Poetæ: quos etiam ſequutus *Hobbeſius*, aſſerit, non niſi a populis adverſus injurias creatos fuiſſe Reges, poſtquam ſuis freti viribus, imbecilliores depredari cæperunt fortiores.

III. Aliis placet a viris ſapientibus, eloquentiæ viribus, ad civile vitæ genus feros & agreſtes traductos fuiſſe homines; cum eodem Poeta; *Sylveſtres homines, ſacer interpreſque Deorum, Cædibus & victu fædo deterruit Orpheus, Dictus ob hoc lenire tygres, rapidoſque leones.* At ex hiſtoria *Moſaica*, *Deum* naturæ & imperiorum primum conſtat fuiſſe authorem; ut mirum ſit quoſvis inter *Chriſtianos* reperiri, qui gentilium fabulas, potius quam veritatem amplectantur. *Summa igitur poteſtas cum ipſiſſimis naturæ primordiis in primum derivata eſt hominem.* Quam etiam poſt diluvium humani generis inſtauratoribus tradidit ipſe *Deus*. *Noachus* totius orbis Princeps, inter filios diviſit; iiſq; ipſi prius cælitus conceſſum, in Imperiorum conſervationem, jus gladii tranſmiſit. *Paterna igitur poteſtas, Regia poteſtatis prima radix*

&

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

& origo, in dignitatem principum, & ampliora Imperia, lapsu temporis facili & spontaneo commigravit motu. Propterea ratum maneat naturæ hoc dictamen, *non a populi suffragiis, sed ab ipso Deo, pendere Imperia.* Ut rationi congruenter cecinit prædictus Poeta, *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos, imperium est Jovis.*

IV. Cum igitur speciosa adversariorum circa imperiorum originem Philosophemata Paganorum redoleant tenebras, nobisq; constet non nisi ab ipso *Deo*, primo prodiisse, & jamnum pendere, imperia; sponte sua corruunt infœlicia *Buchanani* consectaria, a prima erroris sui scaturigine pullulantia; *Principem in ordinem redigi posse: plebem dijudicare quid sit discriminis inter Regem & Tyrannum: Populo jus inesse imperium cui velit deferat:* Cæteraq; Scholæ Phanaticæ axiomata; non *Scotorum* juri, aut genti, sed perduellium quorundam, ex fœce plebis, furori & factioni tribuenda.

V. *Rex igitur solo Deo minor, nullum in terris agnoscit superiorem: A nemine judicari potest*, nisi ab ipso *Deo:* Et *Deo soli actuum suorum rationem reddere tenetur.* Si etenim ad aliud quodvis tribunal postulari posset Rex, Regia authoritate aliam superiorem agnoscendam esse sequiretur, hæcq; superior cum sit, Regia potius quam illa appellari debet: si itaq; Rex a populo, ut obtendunt *Monarchomachi*

machi, in jus trahi posset, populi subditus Rex, & Regis Rex populus, dicendus erit.

VI. Ultro fatetur *Buchananus Judæorum* Reges a *Deo* datos, a civibus puniri non potuisse: *Itaq;* (inquit) *optimo jure, qui honoris iis erat auctor, idem & pœnarum fuit exactor.* At secundum hujus sententiam, ad solos Judæorum Reges restringenda est hæc concessio. Verum cum bona venia tanti, *ludi* potius, quam juris *Magistri* si vetera respiciamus gentium monumenta, nihilo plus eas, quam Dei populum, in suos Reges habuisse potestatis inveniemus. Notum enim est *Babyloniorum* & *Persarum* Regum absolutissimum fuisse imperium. Communi igitur quodam jure intelliguntur *Asiæ*, & totius Orientis Reges imperasse; & eandem, quæ fuit Regum in populum *Dei* potestas, fuisse etiam in subditos suos, Vicinorum Regum, quotquot Monarchicum obtinebant imperium. Neminem etenim esse existimo, qui asserere velit Judæos ad morem aliarum gentium Regem postulantes, gravius quam gentes vicinas desiderasse jugum. Et quodnam, quæso, unanimi hoc populorum consensu, pro Regis potestate, quam evertere conatur *Buchananus*, fortius & validius haberi potest argumentum?

VII. Ex jure certe quodam naturali eam necesse est fluxisse doctrinam, quam, cum generis humani communi con-

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

conſentanea ſit ſuffragio, omnes ferme gentes, vel naturæ inſtinctu didicerunt, vel divina traditione acceperunt. Unde hæc facile colligimus conſectaria: *Societates humanas ſine forma regiminis non poſſe coaleſcere: Uni vel pluribus deferri imperium: Eum qui obtinet imperium apud nullum alium poſſulari poſſe: Poteſtates coordinatas contradictionem implicare.* Vel enim in quolibet regimine ſuprema dabitur curia, a qua nulla provocatio; vel publicam quotidie perturbarent ſententiæ diſcrepantes tranquillitatem. Ergo manifeſtum eſt *ſolum Deum ſummarum poteſtatum eſſe judicem.*

VIII. *Scotiæ* Regem hujuſmodi *abſolutum imperium* habere, & ab ipſis Regni primordiis jure coronæ poſſediſſe, non ſolum noſtri, ſed & exteri etiam agnoſcunt juridici; ut *Bodinus* de *Republica*, *lib.* 2. *cap.* 5. Qui (inquit) *ſine controverſia, jura omnis magiſtratus habent per ſe*; (recenſuerat autem Reges *Scotiæ* inter alios tota Europa abſolutiſſimos.) *Britanniæ* autem Imperatorem omnium perſonarum & cauſarum, in ſuis ditionibus, ſupremum judicem, ſtatutis ab ordinibus utriuſq; Regni rogatis, Regiaq; authoritate ſancitis, ſolenni juramento ſacræ & civilis poteſtatis miniſtri agnoſcere tenentur. ΥΠΕΡΟΧΗΝ hanc, cum ſit jus coronæ inhærens, ut ipſa loquuntur ſtatuta, *Regi, priuſquam juramentum in ſolenni inauguratione* (paucis niſi ante

hoc

hoc annis in *Scotia* uſitatum) *præſtet*, *competere* minime dubitandum eſt: Nec enim in coronatione Regis aliquod ei confertur jus, quod (cum ſanguini Regio inhæreat majeſtas) non antea habebat. Quæq; fiunt ſolennia, eo ſolum celebrantur fine, *ut Regis authoritatem altius ſubditorum imprimant animis:* Nec quidvis imperio eſſentiale contribuunt, nec abeo, ſi abſint, quidvis detrahere poſſunt.

IX. Hujuſmodi ſupereminenti poteſtate cum gaudeat Rex, ut populum ſibi commiſſum in obedientia retineat, in juſtitia gubernet, in pace tutetur, ac fœlicem, & abomnibus malis publicis incolumem præſtet, ipſi mediis omnibus ad finem hunc aſſequendum neceſſariis uti liberum erit: eaq; (cujuſmodi ſunt *nummorum*, ad claſſes exercituſq; ſuſtinendos, *ſubſidia*, *cæteriq; belli nervi*) alacriter ſuppeditare ſubditorum, & *intereſſe*, & *officium* eſt.

X. Ante omnia Regis intereſt cavere, ne a populo excitentur ſeditiones & tumultus; ex quibus clades & calamitates (maxima Reipublicæ mala) vel talpæ viderent ſubornituras; ei proinde magnopere incumbit illorum omnium in ipſo ſemine ſupprimat radices; quarum primas tenet *effrænis in Imperantes dicacitas*, *ſumma linguarum in temperies.* Procax enim & ſuperbum eſt genus hominum, qui, ut auram captent popularem, indefinenter quærelas ef-

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

effundunt varias, inanes, & otiosas. Quæ quamprimum reprimenda est licentia; non enim tantum in imperio sanguinis profuderunt *Neroues*, *Caligulæ*, & *Domitiani*, quantum unum Syllæ & *Marii* civile bellum. Tristi etiam exemplo sunt a perditissimis nebulonibus, partim furore sacrilego, partim vertigine Phanatica abreptis, in beatissimæ & gloriosissimæ memoriæ *REGEM CAROLUM MARTYREM* sublata arma. Quantum etenim sceleratorum impietas, tantum grassatur in Monarchas oblatrandi intemperies: Nam, ut optime *Tacitus*, *Inest omni populo malignum quid & querulum in imperantes.*

XI. *Subditis sub quovis prætextu, imo vel religionis causa, adversus Regem arma sumere non licet.* Quis quæso hoc nomine *Turcarum* aut *Tartariæ* Principem imperio spoliare poterit? Notum est *Christianam religionem* non gladio *Petri*, non Angelorum aut hominum legionibus, sed authoris ejus, beatissimi nostri *Redemptoris*, ejusq; discipulorum (Ethnicis etiam Imperatoribus) in vita obedientiæ, & in morte patientiæ, ortum & progressum debere. *Homini, etiam infideli*, multo magis Christiano, fatente etiam conventiculo *Westmonasterienſi*, *salvum manere debet regnandi jus, & subditorum in licitis obsequium.* Unde nec regem hæreticum exauctorari, nec Regis cujusvis hæ-

hæredem Heterodoxias ſuſpectum, eo nomine a ſucceſſione arceri poſſe, aut debere, cæcus eſt qui non videat. Vere plus quam ferreis conſtringerentur vinculis, ſi vel ad nutum garrulorum homuncionum ſceptra amittant, vel privatorum examini conſcientiam ſubjiciant *Reges* & *Principes*. Qui aliter ſentiunt, quantumvis in Papiſtas invehantur, cum peſtilentiſſima Romanæ communionis ſecta, Jeſuitica ſcilicet, prorſus conſpirant.

XII. Futilis proinde & Chymærica eſt iſta inter ipſum Regem Regiamq; dignitatem diſtinctio, qua argumentorum noſtrorum vim, ac perduellionis crimen declinare conantur *Phanatici noſtri turbones*; hujuſq; cum rei poſtulantur, ſe non contra *Regiam authoritatem*, aut *divinam ordinationem*, ſed contra impium perfidumq; Tyrannum arma ſumere garriunt. Quaſi vero inviolabilis in Utopia, dum Regum perſonæ pedibus conculcantur, & ludibrio habentur, maneat Regia dignitas; ſolio ſedeat hæc, ſceptrum teneat, Regniq; moderetur habenas; ipſe autem, omni honore ſpoliatus, multitudinis riſui objiciatur Rex. Pudet ineptiarum! At quouſq; virus ſuum, tricis Metaphyſicis involutum, Plebeculæ propinabunt nebulones ſacrilegi. Ut ineptiſſimæ huic diſtinctioni, omnia (quo nuda ſine plumis Metaphyſicis adpareat) detraham velamina, ſic diſſerentem audiamus filium immorigerum: Se quidem exa-

animo paternitatem in abſtracto venerari; patrem, qua
trem, ſumma animi demiſſione exoſculari; at iracun-
m ſenem, aſtutum & tenacem, diutius tolerari non poſ-
; eumque, cum paterna pro arbitrio abutatur dignitate,
roxenus a rerum gubernaculo dimovendum. Vides quo
mentiæ progrediantur hæc, non ſolum in imperiorum,
diadematum ſubverſionem, verum omnium etiam fami-
rum interitum neceſſario tendens multoties recocta
rambe.

XIII. *Imperium, ab ipſo fundatum, Regiæq; potentiæ &*
gnitatis, eandem, quam primo hominum & Regum tradidit,
dhuc conſervat Deus menſuram; quæ ab eo ſolo (ſi univerſi
rdinem a ſe poſitum immutare velit) minui aut variari poteſt.
egis enim *Poſſe* inſcrutabile plebi myſterium, *calcato trami-*
, & legitima ſucceſſionum ſeſe movet ſerie; motuq; proprio,
aturali & directo *in Monarchias cælitus conceſſæ fertur tute-*
m. Præ ſe divinæ potentiæ gerit ſimilitudinem: Cum
itur ne vel minimum amittere poſſit divina potentia glo-
æ apicem, quo magis intemerata ſervatur Regia majeſtas,
o lucidiores complectitur divinæ *majeſtatis radios, ſeſe ſi-*
q; commeſſum fœlicius tuetur populum.

XIV. *Regibus proinde cœlitus donatum labefactari nequit*
perium; *nec Regii ſanguinis ſplendor & dignitas: hiſce*
quidem radicitus inhæret ipſa majeſtas, quæ humanis deleri
on poteſt decretis. *Ipſo igitur momento, quo efflat princeps*

 ani-

animam, in proximo & legitimo regni hærede, ſine populi ſ
fragiis ſplendeſcere incipit majeſtas : Comitia generalia, l
majeſtatem ſolennibus ordinariis concelebrent, & decore
plebiq; notificent, *non tamen illam dare vel auferre poſſ*
Statuminatum itaq; & inconcuſſum maneat, *ſine inſ*
ſummi numinis contemptu ſummo, & naturæ legum gentium
juris everſione, ſuperſtite adhuc hærede legitimo, in ali
transferri non poſſe imperium. Unde non minus vere qu
eleganter *Tertullianus*; *ille ſolus regni hæredem conſtituere,*
in corpore animam creare poteſt.

VIVANT REX
Et
ALBANIÆ DUX

R. Chiſwel, 1679. Price Bound 7 s.

Theses Logicæ.

CUm animus humanus, non adhibita debita attentionis cautela, a quovis falso lumine in errores deducatúr; nec nisi post longum & laborio-
m examen suæ nobis veritas copiam faciat; omnes certe,
bentius credere volentes quam inquirere, otiari quam
erari, & priscorum Philosophorum placita, sine omni
lectu amplecti, (perinde ac si omniginè encyclopædiam
solvissent, & *Apollineis* scholiis, vel ipsis sybillæ foliis,
tiora e tripode protulissent oracula) densissimis igno-
ntiæ inerrent tenebris, totamq; Philosophiam in larvas &
gas convertant, necesse est. Omnibus vero, qui ratio-
potius quam authoritate ducti, (oculos in tricoso verbo-
m strepitu non defigentes) ipsissimam rei veritatem in-
piscere assiduè annituntur, Jubare suo, modo incredibili,
tellectus tenebras irradiat & illustrat Logica; quæ, ut-
ote *cogitandi & loquendi ars*, unica est Philosophiæ fax &
x, primusq; & præcipuus radiusculus unde omnes pul-
lant Scientiarum ramusculi; hâc siquidem, ab idearum
bscuritate & confusione, *Judiciorum* falsitate, ac *discursuum*
ale deductorum consequentiis, præjudicia omnia, & sine

ratione ſuſceptas opiniones, eliminando, liberamur.

II. Omnium idearum, *univerſales* ſummas excitarunt Philoſophica paleſtra lites & altercationes; quas, quemadmodum pleraſq; ſi non omnes, Logicales, aliaſq; Philoſophicas cum de ſolis vocibus inſtituantur, reſcindunt vocum definitiones. *Voces*, quarum quædam ita clare ſunt, ut per alias explicari non poſſint, prout ideas univerſales, vel ſingulares exprimunt, univerſales, vel ſingulares ſunt. Idea vel vox clare exhibens rei naturam, ejus *definitio* eſt: Nec metuendum ex rei cujuſvis, quantumvis perfectæ definitione inferri poſſe definientis omniſcientiam. Cum *definitum* ſit tantummodo idea, vel vox confuſe repræſentans definitionis objectum, nec definitio cum definito reciprocari, nec de eo verificari poteſt.

III. Longe hallucinantur, qui *Judicium* ideas plures ejuſq; ſignum *enunciationem* vel propoſitionem, nominalem verſa cum copula, conſtituere autumant. *Actus* omnis, rem enunciet ſicuti eſt, *verus*, ſecus *falſus*: unde omnis enunciatio, etiam de futuro contingenti, eſt, vel vera, vel falſa. Nec veritas, nec falſitas eſt actui eſſentialis. Licet quædam ſint propoſitiones neceſſario veræ, aliæ neceſſario falſæ, nullas tamen *æternæ veritatis*, aut *falſitatis*, agnoſcimus. Una non eſt altera magis vera, aut falſa: Semel vera ſemper vera eſſe perſeverat. Propoſitio alteris propoſitionis termino complexo incluſa, hujuſq; parti, termino

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

primarium conſtituenti, per pronomen relativum conjuncta, *incidens* dicitur: hujus, ſi explicativa ſit, prædicatum de ſubjecto primariæ affirmatur; ſecus, ſi determinativa: Utraq; eſt falſitatis capax; neutrius tamen falſitas primariæ veritatem tollit. Fruſtra tantum inter ſe de *oppoſitionibus* opponuntur dialectici, cum enim omnis ſit affirmatio & negatio ejuſdem prædicati de eodem ſubjecto, omnis, præter contradictoriam & contrariam, tanquam ſpuria rejicienda eſt.

IV. Quantumvis animæ humanæ, ſupra brutalem, in aliis ſuis operationibus, nulla agnoſcatur a quibuſdam eminentia, omnibus tamen clare in *diſcurſu* eluceſcit: in quo ſemper inter ſe uniuntur, vel a ſe invicem ſeparantur, duo termini, prout vel uterq; tertio unitur, vel alter unitur, alter ſeparatur: idq; propter principia per ſe nota, *quæ eidem conveniunt, inter ſe conveniunt: quorum unum uni convenit cui alterum non convenit, iſta non conveniunt inter ſe.* Hoc omnis *negativæ*, illud omnis *affirmativæ argumentationis*, principium unicum. Chymericum ſiquidem eſt, a quamplurimis hucuſq; receptum, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Licet omnis diſcurſus tribus conſtet propoſitionibus, nec tamen in utravis, nec in omnibus, ſed in ipſa illatione formaliter conſiſtit. Quin legitimus ſit Syllogiſmus *cujus præmiſſarum altera concluſionem continet, idque ab altera oſtenditur*, quantumvis ſecundum figurarum

re-

regulas concludere non videatur, non eſt ambigendum. Nullus datur in mente illativus, qui non ſit probativus. Ex præmiſſarum, etiam probabilium, aſſenſu, neceſſitatur intellectus ad aſſenſum concluſioni, non tantum quoad ſpeciem, ſed & quoad exercitium, præbendum. Actus concluſionis attingit objectum præmiſſarum; ipſum tamen effective non producunt præmiſſæ. Licet incompoſſibiles ſint ſimul in eodem intellectu de eodem objecto aſſenſus certus & incertus, poteſt tamen unus & idem actus eſſe demonſtrativus & probabilis, imo & erroneus.

Theſes Metaphyſicæ.

I. GRANDIBUS quondam aureiſq; characteribus, in ipſis Templi *Apollinis Delphice* valvis celeberrimum depingebatur metrum, *Conſule teipſum*, *noſce temet*, & *ambula ab intra*; ſententia ſane de Cœlo lata, omnis ſiquidem Scientiæ initium: *ex cogitationis* enim, quæ in unoquoq; eſt, *conſcientia*, propria, aliarumq; omnium *rerum exiſtentiæ*, & cognitionum omnium *clare & diſtincte perceptarum*, innoteſcunt veritates: Hujuſmodi ſunt *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: *Quæ conveniunt tertio, conveniunt inter ſe.* 2. & 2. *ſunt* 4. & ſimiles; quarum ita evidens eſt veritas, ut iis, *non reluctante & renitente ratione*, lucida illa humanæ mentis face, nullus denegare poſſit

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

ſit aſſenſum. Quamvis itaq; nulla a ſenſibus externis, ſubinde fallentibus, arceſſanda eſſet certitudo, irrito tamen quivis, cum *Arceſilæ*, ſequaſibus *Academicis*, omnem ſcientiam pernegare, *Scipſinque* ſtabilire, aggrediretur conatu.

II. Licet ſolus *Deus* per eſſentiam exiſtere dicatur, quia hæc eſt illi adæquata exiſtendi ratio, cujuſlibet tamen entis *eſſe* eſt etiam ejus *exiſtere*; nec ullatenus diſtinguitur *ens* ab ejus eſſentia. Rerum itaq; eſſentiæ ante actualem exiſtentiam non ſunt, quantumvis diminutæ entitates, ſive eſſentiæ, ſive exiſtentiæ, poſſibiles denominandæ. Nec ulla datur entium poſſibilitas aut impoſſibilitas a Dei voluntate diſtincta. Quodlibet ens eo ipſo quod ſit ens, habet realem partium conjunctionem, vel eſſentialium prædicatorum identitatem, eſt id quod eſſe debet, & integrum: Neceſſario proinde ſunt *unitas*, *veritas*, & *bonitas*, entis proprietates, reales, intrinſecæ, poſitivæ, & abſolutæ. Ex eo quod quælibet res per ſuam entitatem conſtituatur in ſuo eſſe, hoc ipſo per eandem ſuam entitatem non eſt id quod eſt alia, adeoq; ab ea *diſtincta* eſt.

III. Quantumvis *generum ſummorum* numero nihil magis arbitrarium ſit, maxime tamen commode videntur omnia entia ad duas claſſes, rerum nimirum intellectualium, *ſeu cogitantium*, & *materialium*, ſeu corporearum poſſe reduci: Ita ut in categoria intellectualium comprehendantur

men-

mentes cum eorum modis, & in categoria materialium *corpora*, cum modis corporeis.

IV. Quum ex exiſtentiæ mentis noſtræ cognitione, in aliarum omnium cognitionem ducamur, ipſam quavis alia notiorem eſſe evidentiſſimum eſt. Quandoquidem nihil plane aliud ad mentis eſſentiam, præterquam quod ſit res cogitans, ſeu *conſcia omnium eorum quæ in ipſa fiunt*, pertinere, clare & diſtincte intelligamus; ejus eſſentia erit eſſe ſubſtanti. am cogitantem, ac proinde immortalem, nullibi exiſtentem, & motus incapacem. Omnis mentis noſtræ cogitatio eſt, vel intellectio, qua rerum ideas recipit; vel volitio, qua ad illud, quod clare percipit, amplectendum, vel fugiendum, ſe determinat. Quatenus intellectionum Principium eſt, *intellectus*, quatenus autem volitionum, *voluntatis* nomen, ſortitur. Sunt itaque mentis humanæ facultates, *intellectus*, & *voluntas*; quæ nec ab ipſa, nec a ſeinvicem diſtinguuntur: Harumque illa, potentia *paſſiva* & *neceſſaria*, ejuſque actus meræ preceptiones; hæc vero *activa*, & *libera* eſt, ejuſq; actus ſunt non ſolum velle & nolle, ſpeciatim ſic dicti, verumetiam affirmare & negare, ſeu Judicia.

V. Dari ſubſtantias ſpirituales, humano ſaltem corpori non aligatas, antiquorum oracula, quæ in energumenis fiunt, ſpectra, aliiq; varii demonſtrant effectus: qui omnes, cum humanas vires excedant, nec eorum plerique Deo

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

Deo congruere poſſint, *Angelorum* exiſtentiam evidenter evincunt: quos, ut in variis animalium formis hominibus appareant, variaſq; voces, gemitus, riſus, &c. excitent; aliaſq; operationes, ſenſibus noſtris perceptibiles exerceant; non tam corpora vera aſſumere, quam ſenſuum humanorum organa, ita, ut tali vel tali objecto nata ſunt affici, movere; ex eo quod ab uno non autem aliis præſentibus percipiantur hæc Phantaſmata, plus quam probabile eſt. Futuros, qui toti ex libera voluntate pendent, ejuſq; impulſu geruntur extrinſecus, effectus, vi naturæ certo præſcire non poſſunt. Hominum aliorumve Angelorum *cogitationes occultas*, niſi voluerint cogitantes, non cognoſcunt. Quin autem ex ipſius cogitantis voluntate, magis quam ex quibuſvis motibus corporeis, innoteſcat Angelo hominis, vel alterius Angeli cogitatio, fiatq; per conceptuum internorum directionem liberam, qua loquens vult actus ſuos alteri patere, locutio Angelica, nullus dubito. Hinc enim quomodo unus ita poſſit cum alio loqui, ut alii præſentes non percipiant; quomodo locutio hæc mutua ſit libera; & quomodo loquens poſſit excitare ad audiendum illum cui loqui vult, etſi aliis cogitationibus ſit intentus; ſolummodo oſtendi poteſt.

Theſes Phyſicæ.

I. EA eſt falſitatis & erroris innata conditio, ut, nullo etiam impugnante, plerumq; conſeneſcat, & defluat: veritatis autem a natura inſita proprietas, ut, quantumcunq; ſepulta, multis etiam obluctantibus, ſuſcitetur & creſcat: Unde tanta eſt *Phyſicæ veræ* excellentia, ut plurimis inſane oblatrantibus, aliiſq; in eam debachantibus, ſupprimi ſopiriq; non potuerit. Quin imo infeſtiſſimi illius hoſtes, rei veritate compulſi, rejectis formis materialibus fictitiis, & exploſis aridis qualitatum, ſympathiæ & antipathiæ deliriis, in ſola materiæ quantitate, corporis eſſentiam & naturam conſiſtere; & ex ejus modis primitivis, motu, quiete, figura, magnitudine, & ſitu, omnium corporum naturalium diverſitatem, omniaque naturæ phænomina exſurgere, hoſque proinde ſolos formam rei naturalis ſpecificam, & qualitates Phyſicas conſtituere agnoſcant.

II. In *dimenſione trina*, *longa*, *lata*, & *profunda*, qua, quamvis imaginariis pluribus indigeat analyſis Mathematica, plures non dantur reales, conſiſtit materiæ, rei cujuſq; corporeæ matris, extenſio.

III. *Inertia* merito dicitur ſubſtantia corporea *materia moles*; cum in ſe agendi vim nullam habeat, a modis ſuis non mutuatam: Horum vero præcipuus & reliquorum principium, *motus localis*, præter quem non datur alius, eſt ſucceſ-

ſiva

R. Chiſwel. 1679. Price Bound 7 s.

ſiva partium corporis externarum ad partes corporis ambientis, immediate tangentes, applicatio. Non magis tendit motus in quietem, quam quies in motum. Ejus, a rerum exordio in corpore producti, eadem ſemper remanet mentura: Nec ad hoc requiritur, ut tranſeat de corpore in corpus Omnis tendit in rectum, at cum nullum ſit vacuum, ab ambientium reſiſtentia cogitur in circulare m; aut alium ejuſmodi, a quo ea omnia, quæ metu vacui contingere dicuntur, profluunt. *Motus* in corpore quovis *determinatio*, eſt diſpoſitio quam habet in unam potius quam aliam partem movendi: quæ, cum ab alterius corporis, vel quieſcentis, vel aliter moti, occurſu mutetur, ipſo motu integro remanente, ab hoc clare diſtinguitur. Mobili accidens determinationis mutatio in eodem medio, *reflectio*; ex eo vero quod ex uno medio in aliud, illud magis aut minus facile admittens, tranſeat, *refractio* appellatur: Utraq; pro motus celeritate varia, diverſimode variatur.

IV. Ad naturæ naturam rimandam, non minus quam ipſius motus, conducit quietis, & ex utroq; ortum trahentium, reliquorum modorum primitivorum cognitio: His enim ignoratis naturam ignorari neceſſe eſt. *Quies* eſt corporis in eodem reſpectu verſus corpora ambientia permanſio. Rei corporeæ æque poſitivus eſt ac motus, nec minus ad ejus quam hujus productionem requiritur actionis. Præter quietem aliud non agnoſcunt corpora cohærentiæ vin-

culum. *Situs* est corporis inter corpora positio; ejusq; efficacia in Mechanicis est maxima. *Magnitudo* est extensionis terminatio; *figura*, terminationis hujus modus: Illius vires in situ, motu, & quiete, maxime sunt observabiles; hujus vero, cum ineffabilis pene sit varietas, quanta sit efficacia, vix concipi potest.

V. Canes certe, qui quanto luna lucidiorem clarioremq; se ostentat, tanto elatiore voce & rumore, in illam oculorum aciem detorquentes, oblatrant; æmulari videntur illi, quorum malitia clamat latratq; adversus hæc simplicissima, maxime clara, & aperta Physicæ Mechanicæ principia; quæ sua claritate & evidentia, omnium naturæ (etiam maxime abditas) Phænomenon causas, ex tribus, quibus tota, quanta quanta est, constat mundi machina, particularum materiæ generibus, conspicuas reddunt. Quorum primum est earum quæ tenuissimæ sunt parvitatis, incertæ figuræ, & facillime divisibiles, ita ut, ociſſime semper agitatæ, corporum contiguuorum intervallis, rimulisq; cujuscunq; figuræ ac parvitatis sese accommodent. Secundum earum, quæ (quanquam omnes respectu primarum majusculæ, & earum aliæ aliis majores sint) summe etiam minutæ, celerrimeq; agitatæ, & figuræ sunt sphæricæ; tum circa propria centra, tum aliis modis motæ. Tertium earum, quæ magis crassæ, figuræ irregularis, & ad motum ineptæ sunt. Particulæ hæ, licet propter exiguitatem seorsim sumptæ sensus acu-

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

acumen fugiant, ſimul tamen junctæ partes omnes univerſi ſenſibiles conſtituunt.

VI. Miram ſane machinam, mundo gravidam, ad ſpeciem ætheris incomprehenſibili mobilitate concinnaſſe fertur *Archimedes*: Verum admirabilius longe & perfectius opus, ipſam nimirum mundi machinam, concinnavit Architecton *Deus*; cujus fabricam ſtupendam monſtrat vorticum omnium, nobis vero ſumme perſpicue exhibet, partium noſtri conſpicuus ordo & motus: Secundum quem *Sol* fulgida mundi noſtri fax, circa axem ſuum immobilem velut cor univerſi gyrans, cunctorum motuum principium, & mobilium primum, influentiarumq; Theſaurus eſt. Circa ſolem, tanquam verum eorum motuum centrum, hoc ordine exporrecti ſex feruntur *Planetæ* primarij, Mercurius, Venus, Terra, Mars, Jupiter, & Saturnus. Circa Saturnum & Jovem, quemadmodum circa terram *luna*, proprij feruntur Satellites.

VII. *Solis*, ut & omnium fixarum, quæ utpote totidem vorticum ſoles, ejuſdem ſunt naturæ & originis; corpora nimirum fluida ex elemento primo compoſita, ſplendorem nonnunquam obfuſcant fuliginoſæ ex ejus maſſa vi caloris projectæ eructationes, ſeu *maculæ*; quæ quandoq; tam denſæ & copioſæ naſcuntur, ut Sol per aliquot dies & menſes triſti luce nobis adfulſerit: Stellæ autem nonnullæ fixæ a nobis amplius conſpici non poſſint, Quoad iſtis liberari contigerit.

gerit. Unde accidere videtur quod ſtellæ quædam quæ olim apparuerunt nunc diſpareant; & vice verſâ, ſtellæ quandoq; in Cœlo appareant, quæ antea non apparuerunt.

VIII. Cum omnes Planetæ ejuſdem ſint cum terra naturæ, nihilq; hanc, quod iis non competit, habitabilem reddat; non ſolum terram, verumetiam lunam, reliquoſq; Planetas, inhabitari rationi conſonum eſt; nec fidei repugnat. Quinetiam inter Planetarios & nos, abſq; omni fictitia aeris in aquam, per quam navigare poſſimus, converſione; dummodo, jam primum detecta ars volandi, tanta, quanta priores quædam augmenta receperit, ſperare liceat, non eſt ambigendum.

IX. *Cometas* nec tertium ſtellarum genus conſtituere, nec meteora ſublunaria, ſed vere ætheria eſſe eorum corpora, inq; ipſo Cœlo, ex certa materia rariori, aliiſq; corpuſculis denſioribus Congregatis, condenſatis, & velut congeriem neucleorum conſtituentibus, gigni; eademq; ex materiarum harum nucleorumq; attenuatione, diſſolutione, & diſſipatione, extingui: nec rotunda, ſed diſciformia eſſe, quandoq; etiam non ſolum infra ſphæram lunæ trajicere, verum ipſam terram radere oſtendit, *Hævelius*. Qui etiam Cometarum quorundam auctam paulatim a terra diſtantiam, prout diſparere progrediebantur, ex proportionata paralaxios diminutione, ad calculum reiteratis obſervationibus, ipſe redegit. Cum non minus naturales quam quælibet alia naturale

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

rale phænomina, agnoſcant Cometæ cauſas, inutili ſane ac futili labore defatigantur, miſereq; falluntur quotquot ex his potius quam illis Principis aut Regni cujuſvis clades præcognoſci poſſe ridicule fabulantur.

X. Mirabile Naturæ opus, totius univerſi compendium, complementum & ſtatumen, in quo quicquid ſub cœli fornicibus uſpiam aut cujuſpiam perfectionis eſt præeminenti quodam modo & nodo comprehenditur, *fabricam* nimirum *humanam*, completum reddit mutuus cogitationum mentis in corporis motus, & horum in iſtas influxus; unde mutuum actionum & paſſionum commercium. Diverſæ in mente cogitationes ſeu perceptiones, a corporis motibus, tum naturalibus deſideriis inſervientibus, tum ope corporum externorum productæ; *ſenſus*; diverſi autem, a quibus hi excitantur corporum externorum modi, *qualitates ſenſiles* dicuntur. Senſus omnes humanos, motuſq; in brutis mere Mechanicos, ex affectis eorum ſenſuum organis, iis omnino ſimiles, quibus nos, noſtris eodem modo affectis, naturaliter concitamur: reſpirationem, ſanguinis circulationem, cordis arteriarumq; pulſum, ſpirituum per nervos, & eorum ope muſculorum, exq; horum flaxidiate & diſtentione, membrorum motum varium, in ipſa paleſtra explicare cognoſcimur.

XI. Qualitatum ſenſilium præcipua *lux*, totius univerſi oculus, omnes ejus naturam, ſui ſplendoris ope, elucidare anni-

annitentes occæcaſſe; nec niſi in tenebris ſe manifeſtam reddere potuiſſe, videtur: Unde in cubiculo protinus obſcuro radiorum lucis refringibilitatem intrinſecam, ipſamq; luciditatem in radiorum omnigenorum mixtione, colorumq; proinde diverſitatem, a ſola radiorum refringibilitate intrinſeca dependere, variis experimentis primus hoc ſæculo demonſtratum dedit *Neutonus*. A ſola autem partium corporis textura provenire, quod unam radiorum ſpeciem majori copia quam aliam reflectere, huncq; proinde, potius quam illum, colorem exhibere poſſit, in tractatu ſuo de coloribus clare evicit nobilis *R. Boyle*. *Sonus* eſt corporis motus tremulus, in organum auditus per aerem undulantem delatus. *Odor* eſt halitus ex re odorifera in nares exhalans, nervum odoriferum diverſimode feriens. Ex eo quod corporis cujuſvis particulæ ita disjungi & minui queant, ut in ore ſalivæ miſtæ, pro ſua quantitate & figura varia, varie organum guſtus afficiant, dependet omnium *ſaporum* varietas. *Raritas*, in pororum amplitudine; *denſitas* in eorundem anguſtia; *Durities* in partium apud ſe invicem quiete; *Liquiditas*, in partium inſenſibilium motu continuo; & *Molities*, in utriuſq; hujus participatione; *Calor*, in particularum inſenſibilium motu vario; & *Frigus*, in earundem quiete; vel motu vario conſiſtit. Verum Frigus etiam eſſe motus (ſufficientis quidem ad calorem in nobis excitandum) determinationem, earum corporis noſtri partium, quas refrigerari percipimus, mo-

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.

notum obtundentem, ejuſq; determinationem mutantem, demonſtrat aer contractis labilis ex ore pulſus, iſque, quem ipſis ope ventilabri, ſummi æſtivi caloris tempore agitat.

XII. Terra indulgentiſſima illa mater eſt, quæ nobis e gremio ſuo omnia *foſſilia*, divitiarum theſaurum, affluentiſſime emulgenda præbet: Ex intimis quippe ſuis viſceribus plurimos emittit ſpiritus, exhalationes, & vapores, ex quorum, in mineris, quaſi mammillarum glandulis, diverſis miſturis, omnia componuntur mineralia; & congregantur metalla: cum nimirum in anguſtis terræ meatibus incluſi hærent, ejuſq; particulis permiſcentur, *Lapidum*, aliorumque Foſſilium non tranſparentium; cum autem in ejus rimis & cavitatibus primum in ſuccos colliguntur, paulatimq; maxime fluidis & lubricis eorum elapſis particulis ſibi mutuo adhærefcunt reliquæ, foſſilium tranſparentium, & *gemmarum* omnia oriuntur genera: Si vero vapores terræ rimulas & majuſculos meatus perreptendo particulas metallorum ſibi admiſtas in iis relinquant, illam auro, argento, plumbo, aliſve impregnant *metallis*; ipſiq; ob eximiam ſuam lubricitatem ulterius pergunt. Unde non mirum, quod in determinata ab ipſius metalli corpore diſtantia, exhalationibus implicati, ſemper ſpectri quoddam genus, ipſius metalli, non minus quam fumus ignis, ſignum naturale foſſoribus exhibeant. Atq; hoc genus ſpectri, *Mannikins* dictum, ſemper ante repertum ipſum metallum, a ſe conſpici atteſtantur una-

nimiter omnes, in mineris plumbeis D. de *Hopton* fossores.

XIII. Causas phœnomenon magnetis, fluxus & refluxus maris; ut & quomodo Sol ab humili in cœli sublimem regionem vapores abducat; quomodo vapores in nubes, nubes in nivem, pluvias & grandines convertantur: Unde tempestates & procellæ, fulmina & fulgura; iridis arcus & colores, acierum in aere depræliantium spectra; aliaque in globo terraqueo & aere oriantur phœnomena, in ipso theatrico declarabimus congressu.

EDINBURGI, Excudebat Hæres *Andreæ Anderson*, Typographus Regius, *Anno DOM.* M. DC. LXXXI.

R. Chiswel. 1679. Price Bound 7 s.